

**PRÆSTANTIA  
STUDII  
OECONOMICI,  
DISSERTATIO GRADUALIS,**

QUAM,

*Ex Suffrag. Ampliff. Facult. Philos. in Reg.  
Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

**DN. CAROLO FRID.  
MENNANDER,**

Scient. Natur. PROFESS. Reg. & Ordin.

Nec non

Reg. Acad. Scient. Svec.

MEMBRO,

*Publico examini submittere constituit*

STIPENDIARIUS REGIUS,

**ERICUS АРХЕВЪСІ**

SMOLANDUS,

Ad diem 2. Martii Anni MDCCLI.

L. H. Q. S.

ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.

# KONGL. MAJ:TS

TRO-MAN och LANDS-HÖFDINGE,

ÖFWER

Åbo och Björneborgs Län med Åland,

Högwälborne HERR

# JEAN GEORG LILLIENBERG.

NÄDIGE HERRE.



EN almän wälfärd sig och enskildt fäkrast rotar,  
Der god Hushällning jemnt sin ans och skiötsel får:  
När thenna äfwen sig och al sin tilwäxt fotar  
På infigt, nijt och drift, så synas klara spår  
Vraf desf sköna frucht. Sällt land! ther desfe dyra  
Tre egenfkaper ä hos Them som werket styra.

Högt priswärdt finnas the, bland andra dygder flera  
Som pryda Lystra Män, hos EDER, LÄNETS FAR;  
Så at nu närings fäng och slögder sig förmera  
Med alfwar kunna; och saledes Landet har  
Fast hopp, at kofan wäl til lycko-hammen länder;  
Helst Rodret skiötes af Stort Wett och Wisfa Händer.

Slikt, HERRE, LANDETS WERN. och STYRESMAN, mig gifwer  
En wifs förhoppning, at Hög-Gunstigt får anes  
Et ringa lärdoms prof, hwarvi ordadt blifwer  
Om Hushalls Öfnings Dyrd, när det för EDER tes  
Med wyrdnad diup af then, som så sin önskan winner,  
När i ER Höga Gunst han rum med hugnad finner.

Högwälborne Herr LANDSHÖFDINGENS

alra ödmjukaste tjänare,  
ERIC WERRELL.

S:æ R:æ M:ris  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

**DN. O L A O  
OSANDER,**

S. S. Theol. DOCTORI Celeb Diœceseos Wexionensis  
EPISCOPO Eminentissimo, Consistorii Ecclesiastici i-  
bidem PRÆSIDI Æquissimo, Gymnasiorum Schola-  
rumque per Diœcesin EPHORO Gravissimo.  
MÆCENATI MAXIMO.

IN.

TE.

REVERENDISSIME. PRÆSUL.

FULCRUM. ECCLESIE. NOSTRÆ. SPLENDIDISSIMUM.  
Devotissimi. Animi. Magis Ut. Declaretur. Pietas.  
Quam. Ut. Licite. Dudum. Receptus. Servetur. Mos.

NOMINI. TUO. EMINENTISSIMO.

Opusculum. Hocce. Sacratum.

Nec. Non.

TUÆ. MÆCENAS. MAXIME. GRATIÆ.

Se. Commendatum.

Humillimus. Opat.

Qui. Summum. Numen. Pro.

TUA.

TUÆQUE.

NOBILISSIMÆ. FAMILIÆ.

Perenni. Felicitate.

Indefessis. Solicitabit. Suspiriis.

Ad. Finem. Usque. Vitæ, Permansurus.

Reverendissimi Domini DOCTORIS & EPISCOPI

cliens devotissimus,

ERICUS WEXIENSIS.

*Viro admodum Reverendo atque Praclarissimo,*  
**Dn. MICHAELI HEINTZIO,**  
*Ecclesiarum, quæ Deo in Syssma & Hardola colliguntur, Præposito & Pastori adcuratissimo,*

*Nobilissimo Domino,*  
**Dn. ARV. LUD. TANDEFELDT,**  
*Locum Centurionis tenenti maxime Strenuo,*

*Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,*  
**Dn. Mag. JACOBO SIRELIO,**  
*Pastori in Ingâ meritissimo.*

*Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo;*  
**Dn. Mag. PETRO ROSBECK,**  
*Pastori in Pietteryd laudatissimo.*

**PATRONIS & FAUTORIBUS  
OPTIMIS.**

**O***B multa in se collata beneficia, VOBIS, PATRONI & FAUTORES OPTIMI, qualescunque has de Præstantia Studii Oeconomici meditationes, cui symbolum animi gratissimi, cum omnigenæ prosperitatis adpreccatione, dedicat*

**Adm. Rever. Nobiliss. & Plur. Rever.  
NOMINUM VESTRORUM**

**ERICUS WERREDS,**  
*cultor observantissimus,*

Perle-Fiskerie Inspektoren och Jeweleraren i Åbo;  
Högachtad

Herr JONAS LEXELL;

Samt

Handelsmannen therstädes,

Högachtad

Herr CHRISTIAN TRAPP;

Mine Herrar och Gynnare.

**A**nskiönt jag ej äger förmögenhet, at nogsamt beprifa, mindre at aftiena, the wälgierningar, som I, MINE HERRAR, vti orekneliga mål emot mig å daga lagt; så kan doch thermed ej vrfaktas, om jag skulle them helt och hållit förtiga. Jag vtber mig förthenskul, wid närwarande tilfalle få offentliggen betyga, at theras mängd och storlek förtiena, och hos mig vpwäckt, en art af erkänsla, som ej förr, än tillika med andedrägten, vphörer. Thet ringa tekn theraf, jag nu kan wisa, är et litet, om Oeconomiska Wetenskapens Förtreffelighet, af mig författadt arbete, hwilket EDER, MINE HERRAR, jag härmedelst har ähran at tilegna. Och som I Bägge, MINE HERRAR, hafwen på Riksfens almänna Möten, med beröm wärd sit och åhoga, biträdt the rådplägingar, som lägga then wigtiga gemensama fällhets grunden, nämligen en god Huskällning, så hoppas jag, EDER ej lärer misshaga, at häraf inhemta, hwad tancka man hyfer om then samma wid wåra Lärosäten. At för öfrigt I, MINE HERRAR, samt EDRE käre Anhörige må af Förfynen erfara alskjöns andelig och lekamelig wällignelse, är then oförfalskade önskan, hwari jag med beständig tilgifwenhet förblifwer

*Mine Herrars och Gynnares*

högstförbundne tienare;


ERIC WERLÖF.

## Höglarde Herr CANDIDAT.

**A**T vetenskapen om god Hushållning har et värde, som bör med upmärksamhet anses, lärer ingen annan neka än then, som anten intet förstår, eller ock intet wil förstå, hwad grunden är til gemensamt och enskilt wäl. Är också thet Ämne, MIN HERRE til Witterhets Prof utwält, ganska nyttigt; och the tanckar, MIN HERRE i en så wigtig sak yttrat, röja nogsam en til almänt gagn lämpad grundelig lärdöm. Therigenom ökes nu thet lof-ord, som MIN HERRES wäl upodlade snille flera resor tilförene i the Lärdas hop både förtient och wunnit. Och, oachtadt andre sysslor hindra mig, at med utfökta ord betyga then besynnerliga fägnad, mit inre häröfwer känner; så förbiuder mig doch thet wänfkaps band, hwilket långlig tid warit, och, som jag hoppas, hädanefter skall förblifwa ofs emellan ouplösligt, at then samma platt förtiga. Ware förthenskul allenast sagt: Det gläder mig hierteligen, at MIN HERRE medelst närwarande Wackra Arbete wisar sig beredd, at emottaga then Heders Lön, som plägar följa på Wett och Dygd, och hwilken redan för thetta på MIN HERRE wäntat. Den, som alt willigen styrer, låte i thetta och alt annat, MIN HERRES berömliga affigter lyckeligen framgå, sitt Heliga Namn til ähro, Fädernes landet til nytto, och MIN HERRE sielf til timelig och ewig wälfärd! önskar troget

MIN HERRES

*uprichtige wän och tienare,*  
JONAS DAHLGREN.





\* \* \* \* \*



corpora iudicanda, &c. cum possit res recuperari  
de interuentu. De tota denique philofophia  
in Cetero estur. Passus est & fuisse dicitur

**N**exum inter disciplinas dari, quamvis nemo facile negaverit, eo tamen non tollitur alterius earum præ altera præstantia. Omnes enim ad finem quidem tendunt eundem, hominis nimirum felicitatem; cum autem uno eodemque gradu omnes eam non perficiant, & respectu maioris vel minoris sui commodi disciplinæ cujuscunq; præstantia inprimis æstimari, & major minorve cense-ri debeat, ratio adest, cur & quatenus una alteri ju-re præferri possit. Hinc, cum anima sit hominis pars nobilissima, ejusque cura ante omnia habenda, quæ veram & perpetuam ei pandit felicitatem, Theologia videlicet, omnium prima non immerito æstimatur. Requirit porro hominis conditio, ut actiones ejus, quæ a libero mentis proficiuntur arbitrio, ad normam componantur, & præmiis pœnisque circumscri-bantur; cum alias maxima mortalium in malum pro-clivitas quemque facile impediret, commodis suis tranquille perfrui, iisdemq; pro ratione officii in-vigilare. Hac in re opem fert Juris peritia, quæ di-ctamina legum nobis explicat, vitiis obicem ponit, virtutisque addit stimulos. Est altera deinde hominis pars, mente quamvis vilior, artificium tamen Crea-

toris omnium, quæ ex materia construere voluit; maximum, ideoque adeo eximium, ut insignis ei debeatur cura; hinc datus est proximus hinc locus Scientiæ Medicæ, quæ salubria promit media, sanitati corporis tuendæ, & cum postulat res, recuperandæ interservientia. De tota denique Philolophia, quæ, ut Cicero effatur, *frugifera est & fructuosa*, dixisse sufficit, quod singulæ, quas suo complectitur ambitu, scientiæ, quantum in illis est, commodum hominibus promoveant, & non solum superioribus illis, ceu dici siveverunt, facultatibus utilia præstent officia, sed immediato etiam in vitam humanam usu se commendent. Admittunt vero & hæ hoc in puncto inter se invicem gradus. Nam quatenus de nulla earum dici potest, quod sola & sine adminiculo ceterarum, ad commodum nostrum promovendum sufficiat; sequitur, uniuscujusque præstantiam dimetiendam esse secundum plures vel pauciores ejus prærogativas, quæ iterum judicandæ veniunt eo majores, quæ habent insigniorem influxum in id, quod nos statumque nostrum maxime perficit. Sic, velut in corpore animali omnes licet in id cooperentur partes, ut sibimet ipsis mutuam adferant auxilium, sunt tamen quædam tales, ut sine maxima amitti nequeant jactura, & exinde habentur reliquis tanto nobiliores; quædam iterum ejusmodi, ut earum amissio, quamvis salvæ utilitate se commendent haud exigua, magis tamen possit tolerari. Ita cum scientiis sese res habet. Pertinent ad felicitatem hominis, præter ea, quæ attulimus, plurima alia, quibus ad bene beatæque vivendum indigemus, bona videlicet fortunæ.

Hæc



Hæc quomodo e naturæ sinu, a benignissimo Numine nobis parato, eruenda, erutaque in nostros convertenda sint usus, Scientia Oeconomica docet. Si jam, ut oportet, scientia quæque pro utilitate sua æstimetur, quid de hac tenendum, & quantum in ea excolenda positum sit, facile patet, modo ad usum & necessitatem eorum, quæ nobis subministrat, rite attendatur. Nimirum, mox in limine animadvertimus, reliquas scientias bene esse humanum potissimum respicere, hanc vero ad ipsum esse conservandum insuper esse necessariam. De Præstantia itaque Studii Oeconomici breviter agere constitui, quod ut mitiore velis, l. b. perstringere censura, te summopere rogamus.

## §. I.

**P**ER Studium Oeconomicum, a nobis intelligitur scientia, quæ occupatur circa cognoscenda, acquirenda, augenda & conservanda illa, quæ ad sustentationem, securitatem & commoditatem nostri sunt necessaria, in privatum & publicum commodum. Ea homines præ aliis animantibus premuntur egestate, ut, dum horum unumquodque in unico tantum sive altero herbarum genere, vel alio naturæ ejusdem congruente simplicissimo nutrimento, lautissimum, sine ulla amictus cura, invenit alimentum; innumera sint, quorum auxilium, tam in fame sedanda, quam in corpore tegendo, summa sæpe cum molestia, investigare & mutuare coguntur illi. Ad hæc, multa licet sint, quibus homo, qua homo, carere nullo modo potest, accedunt tamen multo plura, unde genus humanum, non solis amplius vitæ necessitatibus contentum, commoditates habet, de-

4

licias & ornamenta. Proba itaque cognitione prom-  
taque applicatione eorum, quæ nobis tanta laboran-  
tibus indigentia suppetias ferunt, præcipuam absolvi  
Studii Oeconomici partem, iisq; nisi sedulo impen-  
datur opera, neminem ad exactam pertingere Oeco-  
nomiæ scientiam, haud difficulter colligitur. Sed pro-  
priis semper ita prospiciendum erit commodis, ut ad  
publicum emolumentum, saltem non detrimentum, in-  
de redundet. Qui enim cum damno boni publici di-  
telcere cupiunt, & toti in eo sunt, ut in proprium  
convertant usum, quæ salutem, præsidium & securi-  
tatem omnium civium forent promotura; qui, pro-  
prio solum quæstui intenti, consiliis toti civitati salu-  
bribus, de agricultura promovenda, commerciis di-  
latandis, manuariis artibus instituendis, quantum  
in illis est, obicem ponunt; hi sane & civitati & si-  
bimet ipsis sunt noxii; cum, deficiente, unde salus  
reipublicæ speratur, fonte communi, non possit non,  
cum singulorum civium salute, ejuscemodi homi-  
num una periclitari incolumitas. Videtur hinc, pri-  
vatam & publicam Oeconomiam in imperio bene  
constituto esse res quam conjunctissimas, ideoq; ita  
ad illam, ut bene sit huic, Studium nostrum at-  
tendere debere, ut ex adverso genuina publica Oe-  
conomia privatæ superstruitur (a).

(a) De plena Studium Oecon. tractandi ratione, quam  
heic explicare nostrum non fert propositum, consul. System. Oec.  
§. II.

**C**om mendat Studium hoc nostrum primo ipsa ejus  
origo & antiquitas, quodq; iam olim apud ple-  
rasque gentes illi pretium insigne fuerit statutum.

Pot-

Potest ortus ejus ipsi Deo adscribi, qui horticulturam jucundissimam primo homini paravit, eidemque lapso terram in sudore vultus colendam monstravit, & conditionem hanc ejus miserrimam consiliis suis sublevavit. Id quoque in confesso est, quod quam primum concipiuntur homines, mox in illis concipienda sit vitæ necessariorum cura aliqua vel Oeconomia, unde illa cum genere nostro æque antiquos possidet natales. Scriptura Divina & imprimis scripta *Salomonæa* occasionaliter doctrinas aliquas & regulas œconomicas continent; quales etiam ex Apocryphis, præcipue ex *Syracide*, haurire licet. Præterea quoque œconomicam gentium orientalium concernentia varia Scriptura exhibet, & quæ historiam fataque ejus spectant. Ita inde addiscimus, agriculturam *Caino* cessisse, & hunc, cælo per nefas fratre, æneisque conscientiae muris everfis, primum se luteis circumdedisse, villamque in urbem convertisse; rem vero pecuariam *Abeli* contigisse. Post diluvium *Noachum* fuisse vinitorem primum, &c. Quanto vero in pretio apud gentem Dei fuerit postmodum agricultura, vel inde apparet, quod videamus Regem ejus boves aratores ex agro redeuntes sequentem (b). Apud gentiles etiam antiquos illa tanti fuit æstimata, ut eos, qui vitæ sublevandæ adminicula invenerunt, in Deorum suorum numerum retulerint, plerisque etiam eorum, quæ in Oeconomia occurrunt, divinitatis aliquid assignaverint, utque summi etiam apud eos viri agriculturæ imprimis & vitæ pastoritiæ dederint operam. In India olim agricolæ ita sancti habitus fuerunt, ut, inter congregantes acies, non lacefferentur, sed

sed omnis expertes curæ munia obire potuerint (c). Quantus vero in oriente hodiernum sit agriculturæ honos, testantur itineraria (d). Magni hanc faciunt præcipue Chineses, qui, ut unum ex primis Imperatoribus suis, *King Yang*, artis hujus inventorem perhibent, eumque ejus studiosos in aula sua fovisse, ita magno honoris cultu eum adhuc prosequuntur. Agriculis postmodum, *Chun & Ju*, ad imperatoriam dignitatem apud eos via patuit, quorum hic scripta etiam œconomica post se reliquisse dicitur (e). Apud Græcos & Romanos perhibet *Varro*, *illustrissimum quemque fuisse pastorem*. Et hos quidem a rastris ad rostra vocasse dictatores & senatores notum est. Unde *Ovidius* (f):

*Jura dabat populis posito modo prætor aratro:  
Pascebatque suas ipse senator oves.*

Neque enim, peractis feliciter negotiis publicis, ad colendum privatum agrum redire turpe fuit. *Ipsorum manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato, & triumphati aratore* (g). Quanti vero fecerint hanc vivendi rationem *Quirites* in universum, apparet ex *Catonis* effato: *Majores nostri virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur* (h). Sed prolixi nimis essemus, si omnia argumenta, petenda ex legibus & institutis, ex exemplis summorum virorum, illustrium familiarum nominibus, numismatibus, &c. adduceremus, evincentia singularem honorem, quem detulit agriculturæ gens orbis domina. Majoribus etiam

jam nostris adeo placuisse illud naturæ amicum vendi genus, testatur *Adamus Bremensis* (i), ut in multis *Svedinae* locis pastores pecudum fuerint etiam nobilissimi homines ritu patriarharum, & labore manuum viventes. Neque desunt exempla prisca gentium, reliquas etiam *Oeconomix* partes excolentium & magni facientium; quamvis fateamur, illas & parcius & frigidius laudari, quam rurale opus. Unum vel alterum adduxisse sufficiat. Indignantur *Tyriorum*, de quibus *Tibullus*:

*Prima navem ventis credere docta Tyrus,*

In artibus manuariis dexteritas (k), commercia (l), potentia (m) & opes (n). Illis quoque celebres fuisse *Carthaginenses*, *Corinthii*, *Rhodii*, aliæq; gentes variae. De antiquis *Svionibus* perhibet *Tacitus*, quod eorum civitates, praeter viros armaque, classibus valuerint. Et paucis interjectis: est apud illos & opibus bonos (o). Urbem praecipue *Gothlandiae* *Wisbyam*, fuisse olim commerciis florentissimam, ostendunt historiarum monumenta. *Aegyptiorum* in artibus manuariis diligentiam hunc in modum extollit *Adrianus* (p): Civitas opulenta, dives, fecunda, in qua nemo vivat otiosus. Alii vitrum constant, ab aliis charta conficitur, alii linyphiones sunt: omnes certe cujuscunque artis & videntur & habentur. *Podagrosi* quod agant habent: habent caeci quod faciant: ne *Chiragrici* quidem apud eos otiosi vivunt.

(b) 1. *Sam.* XI: 5. (c) *Cælius* l. XVIII: c. 3. (d) conf. eorum testimonia, collecta in *Baullens nachrichten von acterbau der morgenländer* / c. 1. (e) *Discr. de l'empire de la Chine* par du Halde, t. II: p. 86. (f) *Fast. lib.* I: v. 19. (g) *Plin. hist. nat.* l. XVIII: c. 3. (h) *In proœm. rei rusticae.* (i) *Hist.*

eccles. c. CCXXXIX. (k) 2. Chron. II: 7, 14. (l) Hefek. XXVII: 12. (m) *ibid.* c. XXVIII: 5. (n) Zach. IX: 3. (o) *De moribus Germanor. c. XLIV.* (p) *Apud Flavium Vopiscum, in Saturnino, c. VIII.*

## §. III.

NEQUE exinde, quod non nisi paucissima Græcorum & Romanorum nobis residua sint scripta œconomica, eaque agriculturam tantum concernentia, non, inquam, inde arguere licet, illud ab eruditis antiquis fuisse plane neglectum & despiciatui habitum. Temporum enim injuria plurima huc spectantia scripta periere. *De cultura agri præcipere principale fuit; siquidem reges fecere, Hiero, Phelometor, Attalus, Archelaus (q).* Eorum quoque, qui de cultu terræ scripserunt ex antiquis, videmus vel apud solum *Varronem* multa superesse sola nomina. Sed concedamus, aliquam fuisse olim eruditorum sollicitudinem in excolendo nostro Studio, non hoc integris aut omnibus gentibus erit vitio vertendum; quæ, licet scientiam & regulas non haberent, usu tamen & experientia adjunctæ, his adeo humano generi necessariis negotiis accommodabant manus, segnius aliæ, aliæ alacrius. In primis illæ, quæ principum & magnatum exemplis, quibus in his rebus magna omnino vis est, ad Oeconomiam culturam excitabantur. Debet illustribus ejusmodi exemplis industriam suam in agricultura & serici confectioe Chinesium gens. Cum enim *Ven Ti*, qui binis circiter seculis ante Servatorem mundi natum imperii istius habenas tenuisse creditur, ipse agros palatio suo vicinos coluerit, ut ita cives ad imitationem & diligentiam excitaret, sumpta inde est occasio di-

diei festo anniversario, quo hodiernum ipse Imperator, & Præfecti singularum provinciarum, terram aratro subigunt, & varia frumentorum genera eidem committunt. Sementem vero hanc, postquam maturuit, ipse Imperator metit, quæ in horreum auro obductum deportatur, & ceu primitiæ, cœlo offertur (r). Imperatrices autem ad sericeos labores subditos exstimulant. Perhibent eorum annales, pelles animalium fuisse illis olim indumenta, quæ, cum & incommoda essent, & crescenti multitudini non suffectura, conjugem Imperatoris *Hoang Ti*, cui nomen *Siling*, serici conficiendi rationem olim invenisse. Et abinde Imperatrices bombycibus excludendis nutriendisque, & serico parando, vacant. Adjacet palatio, hunc in finem, mororum sylva, quam ingrediens cum pompa Imperatrix, stipata mulieribus aulicis, ex tribus ramis ipsa folia decerpit. Veste vero sericea, quam ipsa paravit, Imperator die magno sacrificio dicata induitur (s). Si recentiora & propiora desideraverimus exempla, inter alia adest *Petri I.* Moscoviæ Imperatoris, qui, ut civibus ad Oeconomiam excolendam viam præiret, ipse pro addiscenda eadem varias Europæ regiones visitavit, & artibus manuariis, præcipue architecturæ navali, proprias admovit manus. Diximus, Philosophorum scholas non posse a neglectu hujus disciplinæ liberari. Neque id tamen ex contemptu illius solo factum est, quamvis diffiteri non liceat, illum, ævo imprimis scholastico, in partem causæ venisse; sed erant simul aliæ rationes, cur non ea, qua par fuisset, industria, huic studio excolendo insudarint. Aderat ignorantia genuinæ ideæ Oeconomix, unde cum do-

ſtrina Morali confundebatur, quæ nomen illud gerebat, disciplina, & in idoneo anguſtoq; loco collocabatur, inter partes nimirum Philoſophiæ Practicæ, vel etiam, ut appendix quædam, Politicæ annectebatur; unde evenit, ut ad juſtam ſtaturam, neceſſariis inſuper ſubſidiis orbata, excreſcere non potuerit. Deinde eruditi illo laborabant præjudicio, melius ſine doctrina, ſolius experienciæ ope, hanc addiſci, imo, neq; ad regulas generales poſſe reduci. Hinc *Cornelius Agrippa* Oeconomiam *anomalam* appellat, *nec modum habentem nec regulam, adeoque neq; vere artem neq; ſcientiam dici poſſe: ſed eſſe quandam ex hominum opinione, uſu, conſuetudine, prudentia, ſeu etiam aſtutia, conſtantem domeſticam diſciplinam (t).* Cui concinit *Gabriel Naudæus*, qui, ob plurimas circumſtantias, quas in artem & methodum vix poſſibile ſit reducere, hanc rem minus arte valere judicavit (u). Sed perſpexerunt ſagaciores, hoc noſtræ commune eſſe cum aliis ſcientiis practicis, quarum ideo non impoſſibilis redditur aut negligitur cultura; & reſpondet huic objectioni ſolide *Thomasius (w): non deſiderari præcepta infinita, pro numero circumſtantiarum illarum infinitarum. Omnium ſcientiarum practicarum pauca eſſe præcepta communia, quæ, ſi negligantur, omnia perverſe ſiunt.* Hinc in optatis illi, & variis aliis, tuit, ut etiam locus in Academiis Oeconomix concederetur. Horum in numero eſt *Becmannus (x)*, qui Profeſſorem deſiderat Oeconomum, non generalibus ſaltim terminis, verum ipſo uſu *Studioſos informantem, & ad futuram rem domeſticam præparantem; cui muneri Quæſtores Academiæ commodiſſime præfici poſſe putat, cum hi rei Oeconomix Academiæ tractandæ adhibe-*



antur. Dum vero addit: *inter desiderata haec professio fuit, ex quo Academiae fuerunt, & futura esse videtur, donec Academiae futurae sunt; tum hoc quidem ejus augurium refellit experientia. Erat enim nostris temporibus reservata illa felicitas, ut Oeconomicae Professiones jam domi forisque constitutae sint; varia quoque eruditorum prodierint scripta, Oeconomiam disciplinari habitu pertractantia.*

(q) *Plin. l. c.* (r) *Du Halde, l. c.* (s) *ibid. p. 246.* (t) *De vanitate scientiarum, c. LXVI.* (u) *Bibliograph. polit. p. m. 24.* (w) *Prudent. consultat. c. III. §. 35.* (x) *Polit. Parab. c. x.*

## §. IV.

**M**Ultum & illud commendationis Scientiæ nostræ addit, quod, cum nullus sit civis, cui non aliqua pars Oeconomiae vel publicæ vel privatae curanda sit demandata, cuique non incumbat, illius ope suam & reipublicæ, in qua degit, felicitatem promoveri, omnes etiam in universum Oeconomiae, vel aliqujus saltem ejus partis addiscendæ, obligatione teneantur; cum plerumque aliæ scientiæ pauciore cultorum numero contentæ sint. Ostendit Philosophia Moralis, homini injunctum esse, ut vitæ præsidia sibi compararet, utque illius non necessitates modo, sed etiam commoditatem quærat, in quantum legi naturali non repugnat, & modo isto studio officiis erga Deum, nosmet ipsos & alios homines nihil quidquam detrahatur. Docet eadem, intendisse Deum felicitatem nostram, dedisse ejus subsidia; concessisse eum nobis potentiam fruendi rebus creatis, & inexhausto naturæ gazophylacio, ubi, quæ ad vitam conservandam

& jucundiorē reddendā requiruntur, copiose adfunt. Largitus est idem Deus benignissimus nobis facultates viresque, quarum debito usu rebus naturalibus rite uti fruique possumus. Aliquæ harum sponte proveniunt, absque labore nostro, vix tamen illa copia, quin proventui earum multiplicando opus sit, ut admoveant homines manus. Aliæ opera nostra, tanquam certo numerato pretio, sunt redimendæ. Utroque modo provenientes res naturales vel mox usui inserviunt, vel ulteriorem aliquam præparationem requirunt. Omnes denique, vario licet modo, a corruptione conservandæ sunt. Pleraque vero rudia & involuta nobis concessit natura, ingenii solertia expolienda, & ad commodiorem usum componenda. Ad glandes certe nobis esset redeundum & aqua cum brutis bibenda, nisi panis & vini confectionem ars docuisset. Ostendunt hæc ipsa, arte, doctrina, industria ubique adjuvandam esse naturam, ubique requiri laborem & experientiam ratione subnixam; & nobis, si nostræ aliorumque felicitati rite velificari voluerimus, esse Studio Oeconomico sedulo incumbendum. Dum in civitates confluunt homines, nova illis pacto imponitur obligatio; ut non suam tantum, sed etiam publicam felicitatem cordi sibi habeant. Cum vero huic fini potissimum inserviat Oeconomia, & sit genuinum medium solidæ felicitatis non privatæ modo, sed etiam publicæ obtinendæ, ceu mox videbimus, apparet inde, cives non sola interna obligatione; verum etiam externa, eo teneri, ut Oeconomiam debito virium, facultatum & rerum suarum usu, colant, emendent, promoveant.

## §. V.

**N**Ova, eaque insignis elucet Disciplinæ Oeconomicae præstantia, dum illa cum reliquis ambitu hujus vitæ inclusis scientiis confertur. Sunt illæ in duplici differentia. Aliquæ mentis instar, per totum civitatis corpus diffunduntur; illam efficiunt, regunt; moderantur, utque virtutes exercent cives, & omnia rite administrantur, procurant. Aliæ lucrum reipublicæ promovent, & rem facere, sectari, cumulare cives & civitatem edocent; nervos largiuntur, quibus tenditur civitatis corpus; sanguine illud implent, ut spiritu, succo, vitæ abundet. Apparet hinc, utrisque esse eandem originem, eundem finem: humanæ naturæ necessitatem, vitæ publicæ privatæque utilitatem & jucunditatem; verum priores quæsitis opibus ad salutem & decus reipublicæ uti, posteriores eas quærere; illas felicitatem civitatis potissimum internam, has externam, promovere. Sed & illud simul apparet, Oeconomiam, artem illam bona acquirendi & administrandi, esse illarum omnium quasi commune centrum, ad quod tendunt & se referunt; cum vel comparandis opibus adminicula suppeditent, vel suum cuique tribuendum doceant, vel sobrium, justum & pium divitiarum usum injungant. Hinc non potest non evenire, ut, probe excolta Oeconomia, reliquæ etiam scientiæ incrementa capiant, eadem vero langvente, langvescant, unde artium magistra illa potest convenienter salutari. Inprimis vero arctissimo connubio jungitur cum Historia Naturali, Physica, Chymia & Mathesi, quarum prima investigandis, reliquæ perficiendis & conservandis opibus,

bus, insudant. Ostendit *Auctor Spectaculi Naturae* (y), quanta, per commercia sola, acceperint hæ scientiæ incrementa. Cum enim faciliori & securiori per orbem integrum commercandi rationi aperuisset viam naturæ cognitio, detecta magnetis vi ad polum conversiva, & pyxidis nauticæ inventione, non fuere commercia ingrata, sed hoc beneficium largiter compensarunt, dum Physicæ & affinium scientiarum incrementis, sterili vero scholasticæ Philosophiæ eliminandæ, auxiliatrices attulerunt manus. Reddebantur nautæ, cogente ipsa necessitate, physici, mathematici, mechanici & astronomi. Neq; deerant eruditi, qui, incitati justis præmiis, & honore illo, quem utilibus his studiis deferre incipiebant gentes eorum ope jam ditescentes, illis excolendis impigre insudabant. Transferebatur *Almagestum Ptolomæi*. Prædibant ephemerides & tabulæ; construebantur globi cœlestes & terrestres; invenit horologium astronomicum *Orontius Finæus*; comparuere varia variorum instrumenta nova; mappæ quoq; geographicæ *Petri Appiani* & *Seb. Munsteri*; rudia quidem hæc omnia, imperfecta & vitiosa, omnibus tamen scholasticis voluminibus multo præstantiora. Naturæ cognitioni, ventorum, maris fluxus & refluxus, &c. accedebant indies incrementa. Comportatis etiam per commercia orbis integri fructibus, & naturalibus artificialibusq; divitiis, dedere novi hi thesauri artibus omnibus & scientiis excolendis dilatandisq; novum eumque spatiosissimum campum. Historia Naturalis, eousq; arcte habitans, latissima accepit pomœria. Usus plurimarum rerum, antea ne nomine quidem cognitarum, detegebantur, ex-

et varia fabula plo-

plodebantur. Utpote vero harum scientiarum incrementa mirum in modum promovet Oeconomia, ita illis etiam ipsa adeo indiget, ut illarum auxilio destituta, parum vel nihil efficere valeat. Historia Naturalis ipsos fontes redituum, ipsa corpora naturalia, secundum characteres fixos, cognoscere docet. Physica elementorum indolem, vim & efficaciam, corporum affectiones generales & structuram rimatur. Ope Chemiæ interiorum eorum indolem, velut clave referat. Mathesis deniq; quantitatem causarum effectuumq; ad calculos revocat, & machinarum instrumentorumq; vasto apparatu eidem suppetias fert.

(y) Tom. IV. Entret. V.

§. VI.

**A** Deo arcto nexu Studium Oeconomicum cum reliquis, & imprimis naturalibus illis & mathematicis, conjungi, ut, tanquam rotæ in eodem horologio, se invicem promoveant juventq; testis etiam locuples est historia; quæ ostendit, deficiente in gente aliqua Oeconomiae cultura, studia quoq; literarum vel perverse aut frigide tractari, vel etiam exulare, & barbariem hujus neglectus esse comitem. Hoc ipsum gentium variarum, Africam, Americam & partes Asiae per plurimas inhabitantium exempla satis probant; quæ, cum haud raro opibus circumfluant, inopes tamen sunt, cum ob ruditatem suam in artibus & Oeconomia, divitiis suis uti ignorent; unde fit, ut, cum felicissime vivere possent, vitam tamen miserrimam qualitercunq; trahant. Ex adverso vero, literas in qualibet civitate cum Oeconomiae Studio una accrevisse, historiae luculenter evincunt. Ex plu-

rimis pauca exempla in asserti fidem adducere iu-  
 bit. Fuerunt in Gallia ante tempora *Henrici IV.* so-  
 cietates, ut dicuntur, literariæ, optimæ illæ scientia-  
 rum nutrices, prorsus inauditæ; sed postquam ille,  
 ut notum est, variis Oeconomiam spectantibus insti-  
 tutis maxime proficuis fundamenta opum & poten-  
 tiæ, de quibus hodie sibi gratulatur Gallia, sternere  
 cœpit, exoriebatur statim, nempe circa initium su-  
 perioris seculi, privatus ibi conventus, quem frequen-  
 tarunt viri doctrina celebres, naturæ potissimum  
 scrutinio addicti. Deinde, regnante *Ludovico XIII.*  
 erecta fuit Academia Gallica, cujus præcipua erat  
 cura, puritatem lingvæ vernaculæ conciliare & ele-  
 gantiam. Hæc vero ipsa, respectu eorum, quæ post-  
 ea insecta sunt, præludiorum quasi vices sustinebant.  
 Nam, accrescente indies Oeconomix cultura sub Re-  
 ge *Ludovico XIV.*, qui, ut ipse incomparabili præfulsit  
 prudentia, & opera ac studio laudatissimi sui Mini-  
 stri *Job. Bapt. Colberti*, terræ culturam, mercaturam,  
 navigationem artesque manuaras partim emendan-  
 do, partim instaurando, regionis suæ potentiam &  
 gloriam, ad illud, quod antea non vidit, fastigium  
 evexit; ita ad majus, quam antea, culmen scientiæ  
 etiam statim exurgere cœperunt. Instituebatur ni-  
 mirum non solum A:o 1663. Academia Reg. Numism.  
 & Hum. Liter. cui antiquam & recentiore regni  
 historiam, statuta nummosq; illustrare incumbit, sed  
 quæ majoris adhuc momenti est, instaurabatur non  
 multo post incluta illa Academia Scientiarum, in  
 qua viri de re literaria meritissimi Geometriam, A-  
 stron. Mechan. Anatom. Chym. & Botanicam lau-  
 dan-

danda opera excolunt. Tale Minervæ cum Studio Oeconomico amicissimum consortium, præter Londinensem Anglorum, quæ in detegendis ditissimis naturæ donis indefesso & laboravit & adhuc desudat studio, plurimæ tam alibi, quam in Germania, initæ Societates Literariæ, & in iis, uno quasi partu cum Studio Oeconomico in Borussia nata, & A:º 1700. instituta Academia Berolinensis, satis ostendunt.

## §. VII.

**P**Eregrinis vero documentis quid opus est, ubi rerum testimonia domi adsunt? Si patriam nostram consideremus, facile patebit, indivulso vinculo & heic conjunctas fuisse Studio Oeconomico artes liberales. Qualis earum ante Christianismi introductionem fuerit ratio, & quam fuerint hæc tempore papali scholasticis nubibus obfuscatæ, dicant alii, Subirascitur alicubi principibus heros Dei *Lutherus*, quod ad decoranda arma sua gentilitia animalia fera & carnivora potissimum adhibeant; cum opinetur, dona Cerealia & res œconomicas melius ornare scuta eorum, quibus, tanquam patriæ patribus & geniis tutelariis, quam maxime incumbit, Oeconomix ope ubertatem civibus comparare. *FAMILIA AUGUSTA* de *VASA*, ut manipulum segetum insignium loco gestat, ita de Oeconomix & eo conducentium studiorum flore sedulo fuit sollicita. A Glor. mem. Rege *GUSTAVO I.* inchoata fuit hæc opera, & a Successoribus ejus ulterius provectora. Sub regimine vero *REGIS* nostri *CLEMENTISSIMI* ad eam, quam exteri partim admirantur, partim livido intuentur oculo, ipsi vero & nobis & posteris impense gratulamur, eminentiam, exoptatissi-

mo progressu perducta est Oeconomiae cultura, quae se-  
cum tulit insignia literarum incrementa. Rei veritatem,  
praeter tria illa intra patriae fines exstructa Athenaea,  
Gymnasia Scholasque per plurimas, ac varios tempore  
*CHRISTINAE* huc invitatos solidae eruditionis viros,  
haud obscure confirmat Societas Literaria *Upsalicae*,  
1712. quidem coepta, sed quae, diuturno bello inter-  
rupta, 1720. restaurabatur, & demum, 1728. aucto-  
ritate Regis nostri Augustissimi muniebatur. Quae  
vero omine dextro & faustissimo 1739. *Holmiae* insti-  
tuta, 1741. S.æ R.æ Majestatis confirmata fuit pri-  
vilegiis, Reg. Academia Scientiarum, imprimis testa-  
tur, Apollineas artes in cultu optime virescere solo.  
Essent utriusque hujus in scientias & Oeconomiam me-  
rita exponenda. Possent plurima proferri incrementa,  
quibus viri de republica optime meriti Oeconomiam,  
& quamvis fere scientiam, nostro tempore ditarunt; sed  
prolixitatem illam nobis nec temporis, nec facultat-  
um, permittit angustia. Cogimur propterea, quae  
sua non defraudatur jucunditate & emolumento, ple-  
niorem conjunctissimorum patriae in Oeconomia &  
artibus liberalibus progressuum delineationem, a nobis  
indigitatam, operæ aliorum relinquere. Sufficiat  
dixisse, nos jam vel in Oeconomiae, vel aliarum sci-  
entiarum studio, nulli alteri genti palmam concedere.

## §. VIII.

**Q**UAE haecenus diximus, ad amicissimum connu-  
bium Oeconomiae cum scientiis naturalibus &  
mathematicis ostendendum potissimum spectant. Quod  
vero reliquis etiam scientiis incrementa insignia affe-  
rat Oeconomiae Studium, id, ut breviter agamus,  
hi.



historiæ tantū exemplo in singulari evincere liceat. Notum omnibus est, quod quævis non ferat omnia tellus. Propterea, si vitæ necessitatibus & commoditatibus prospicere voluerit Oeconomia, opus est, ut ea, quibus caret nostra, ex peregrinis advehantur regionibus; & ideo cultori Studii Oeconomici necessarium erit, novisse, quibus hæc vel alia regio præ reliquis locupletata sit naturæ donis, quorum maxime indigeat, & qualis sit ibi incolarum indoles, vivendi ratio, &c. quo possint tanto feliciter desiderata, pro superfluis, quæ profert domesticum solum, adquiri. Hæc dum investigat noster, accedunt eo ipso, præter ea, quæ Historia Naturalis & Oeconomia inde capit, majora indies Historiæ Civili incrementa, & illud insuper lucratur, ut ex factis vitaque aliorum sapientior & prudentior reddatur ipse. Quæris gentis cujusdam vires & robur, qua opulentiam & civium numerum; quæris ejus in promissis fidem; quæris ejus mores, leges, &c. hæc, qui ejus Oeconomiam, testem horum omnium verissimam, ope commerciorum, addidit & examinare valet, majore tibi enarrabit fide, quam expectare poteris a descriptoribus præliorum, cladum & expugnationum; utpote quæ ab unius sæpe hominis prudentia & strenuitate, vel sola haud raro fortuna, dependent. Et unde tutiora ad proprii status felicitatem duci unquam possunt exempla, quam ex aliarum gentium rei oeconomicæ magis vel minus prudenti administratione? Sed non cognitione modo aliarum gentium nos imbuat Oeconomia, verum etiam Historiæ Domesticæ incrementa promoveat. Ut enim assiduus ejus cultor notam perfectam-

que sibi ante omnia reddat domestici soli conditionem, qua fieri unquam potest diligentia, rimatur hujus vel illius provinciæ, territorii vel parochiæ situm, naturalem conditionem, agros, hortos, rem pecuariam, eidemque conjunctam pratorum culturam, herbarum genera, silvas & in iis animalia, venationes, montes, mineras, fontes, imprimis loterios, lacus, fluvijs, piscaturas, pistrinas, instrumenta quibus res rustica administratur, &c. Attendit ad incolarum mores, diligentiam in laborando vel segnitiam, notitiam vel ignorantiam eorum, quæ Oeconomiam spectant, rationem liberos educandi, vestimentorum genera, &c. Circa prædia & officinas quæ notatu digna occurrunt, nec omittit noster. Urbes describit, & in iis ædium structuram, mercaturam, artes manuaras, nundinas, civium numerum, vitam & mores, &c. Hæc dum fiunt, ut fieri omnino debent ubi floret Studium Oeconomicum, utilissima inde enascitur Historia Patriæ, quæ desiderabatur, quamdiu, suo Oeconomix denegato pretio, plura de præterito quam præsentis ejus statu nobis fuerunt nota. Sed & ipsis antiquitatibus patriæ non contemnenda indices hoc ipso adfertur lux. Cum enim œconomica illa jam allata strenue rimatur, non facile, quod credidero, permittet noster, suam ut effugiant observationem locorum nomina, insignia, aliaque memorabilia; urbium vetustissima privilegia, fataque; artes earumque munitiones; templorum ætates, fundatores, monumenta sepulcralia, simulacra, picturæ; prædiorum moderni & pristini possessores, bibliothecæ; repositoria, ubi asservantur naturalia & rariora;

cœnobiorum aliorumve ædificiorum rudera, &c. Plurima horum licet sint ingenti & laudanda opera jam detecta, tenebris nihilo minus, præcipue in tractibus silvestribus & a viis publicis remotioribus, obduci adhuc multa, eaque, veluti alia agendo, ab injuria oblivionis per Oeconomiam & Historiam Naturalis Studiosos, qui omnes angulos patriæ perreptant, liberari commodissime posse, extra dubitationis aleam est positum.

## §. IX.

**H**Æc vero jam leviter adumbrata si pro vindicanda Studii Oeconomici præstantia non suffecerint, eam procul dubio evincunt commoda, quæ longe majora Studium hoc, quam ullum aliud (2), & reipublicæ & ipsi ejus cultori, pollicetur. Publicæ etenim salutis, ut de ea primum agamus, firmissima conciliat fundamenta Oeconomiam Studium, sine quo omnia alia, in quibus nonnulli eam quærunt, reperiuntur incerta, caduca, imo, eidem acquirendæ & conservandæ prorsus non sufficientia. Ubi vero floret hoc, omnium rerum abundantiam & potentiam rebus publicis conciliat, omnesq; qua fieri potest, sedulitate excoluntur victum acquirendi modi, qui, utpote ad opes & multitudinem civium, verissima illa virium & potentiam indicia, tutissima sunt viæ, ita non modo eas, quibus benigniorem ipsa natura concessit sortem, sed illas quoq; ubi sterilis inhabitatur gleba, civitates, ad perennantem recto tramite ducunt felicitatem. Bataviam qui intuetur, facile nobiscum faciet. Est ea, ut notum, qua indolem ipsius soli, omnium fere eorum, quibus indiget vita humana, expers, saltem nequiquam sufficiens tantæ homi-

minum multitudini alendæ; nihilo tamen fecius ad illud fastigium excrevit, sua in œconomicis tolerantia, ut annui reditus publici ad 200. tonnas auri, & interdum majorem summam, ibi adscendant, utq; præter classem maxime insignem, 50. circiter millia militum sustentare valeat. Ex maris fundo, piscatura sua sola, majorem pecuniæ summam quotannis reportat, quam Hispania ex fodinis utriusque Indiæ; cum, subtractis expensis, pro halece tantũ & asello 37. millionum librarum lucrum faciat. Galliæ quoq; divitias adeo auxit scientia hæc, ut quovis anno, ærario regio, sicut fama est, accedant 150. milliones gallicorum aureorum, præter ea, quæ sustentationi cleri dicata sunt, & summam 104000000. imperialium excedunt (a); militia perpetua complectatur 250. millia peditum & 50. equitum; numerus vero omnium civium, sit supra 20. milliones. Quid Anglia, Studio Oeconomico itidem sedulo addicta, opibus valeat, patet ex iis, quæ quovis anno nomine subsidiorum a Parlamento ibi in publicum conferuntur, & Anno 1743. ad 9. milliones pond. Sterl. adscendisse dicuntur (b). In patria fabricis, quarum plerasque nascentes nos vidimus, sustentantur jam 30. millia hominum, qui tantam vim mercium quadriennio pararunt, ut valor earum excedat 79. tonnas auri (c).

(z) *Reliquae scientiæ humanæ & studia, spreto Studio Oeconomico, quid statui publico & privato prosint, proprio cujuscunq; judicio submittimus. Interea, quæ citentur, non indigna putamus Nob. Nordencrantzii, in Arcan. Oecon. & Commere. T. 1. c. VII. §. 4. verba: Hvad alla nationer af allehande studier, utom de œconomiske / profiterat, lærer vid und-*  
*der*

Derfökande finnas litet eller alsintet / undantagandes et  
 nöje och tidfördrif. = = = Och kan man intet weta /  
 hwad werlden / utom et nöje / profiterat af alla *critiques*  
 och trätor / som gjorde warit öfwer *Antiquiteter*, *Slags-*  
*mål*, *Historier*, *Disputationer* och *Parentationer*, samt öf-  
 wer många tusende andra *curieuse*, men onyttige saker.  
 Och ehuru wäl man giärna lämnar slike *studier* sitt til-  
 börliga wärde och äresäte / så synes doch / det de *æcono-*  
*miske studierne* öfwen så wäl skulle kunna göra folck *mo-*  
*ratiserade*. Och hwad för tjenst eller gagn har man deraf /  
 om man wet hwad *Solen* är / och om *Planeterne* ä-  
 ro i sig sielfwe mörcke och bebodde kroppar eller intet ?  
 Men kunde wi lära / at komma dit och handla med dem /  
 så kan hända lönte det mödan. Jag betygar / = = =  
 at jag thetta intet talt hafwer / de ädla *studier* til för-  
 ringande; utan endast at wisa / huru somblige wilja spän-  
 na för laffet bakfram / arbetandes twärt emot natu-  
 ren / och sättja sådant i främsta rummet / som det o-  
 möjeligen hwarken winna eller behålla kan / förr än det  
 at något som kraftigare är / blifwer styrect och uppe-  
 hållit. (a) *Conf. sis Hübners* korta inledn til *bisf.* med  
 tilfökning och bihang om nu warande *Riken* och förn.  
*Reger.* i *Europa*, p. 182. (b) *Ibid.* p. 189. (c) *Vid Riksfens*  
*Höglofl Ständers* *Secr. Manufactur* och *Handels Depu-*  
*tations* Betänkande angående *Manuf. Contoires* för-  
 waltning / och *Swenska Fabriquernas* nu warande tillstånd:

## §. X.

**C**ertissimum esse nemo negaverit, imminere salutem  
 publicæ detrimentum, quando in civitate vi-  
 ctum quærentium numerus cum numero sustentan-  
 tium non servat justam proportionem, sed prior vel

æquiparatur huic, vel eundem superat. Hinc enim originem ducit communis pauperies; hinc ad publica & salariis instructa munera adspirantium sollicita turba; hinc partium studia, hinc discordiæ; hinc doli; hinc concivium oppressiones; verbo: hinc malorum multorum larga seges. Huic vero morbo, quo concipi vix potest periculiosior, medellam omnium saluberrimam porrigit Studium Oeconomicum. Nam ubi invaluit hoc, variæ civibus panduntur viæ, quibus honeste non minus, quam tuto, ad propriam & communem recta pervenitur felicitatem; artes innumeræ, ex quibus antea consilii, quidnam iis esset suscipiendum, inopes, illam, quæ genio maxime arridet, eligere possunt; & unde & sibimet ipsis & publico fructus demetere indubios illis licet. Redduntur his cives industrii & laboriosi, atque ingenia ab inutilibus & otiosis, ad vere proficuas excolendas alliciuntur scientias. Hoc pacto efficitur, ut exulet penuria; multitudo eruditorum rempublicam non aggravet, sed sublevet; firmissima, singulis unanimi nisu ad eundem tendentibus finem, civitatis nimirum commodum, ad conjungendos civium animos, nectantur vincula; & ita e fuga veluti retrahatur concordia, sine qua impossibile est, salutem persistere publicam.

## §. XI.

**S**tudii nostri cultorem suo nec defraudari commodo, vel inde patet, quod, dum reliqua studiorum genera, probe licet excolta, per se & sine adminiculo alieno, fortunæ scilicet aliorumve hominum facto, exoptatum suis amatoribus impertiri ne-

nequeant laboris fructum, adeo ut, donec desideratur illud, deficiat necessario hic; eundem non unica ratione sed variis, larga manu porrigat alumnis suis Studium Oeconomicum, idque sine illorum multa & tædiosa expectatione. Postulat hoc ipsa natura & indoles Studii hujus, quippe quod, ut supra innuimus, ad notitiam & usum eorum, quorum expers nemo salatur omni ex parte felix, fidelissime manuducit. Et si eruditionis laudem ambiverit Oeconomiae Studiosus, est illi occasio in scientiis, quas spatiosissimo suo complectitur campo Oeconomia, & quærendi eam & inveniendi. Studium quoque nostrum concomitans delectatio, ex majore majoreque cognitione bonitatis Divinae, omnia usui homuncionum & emolumento benignissime concedentis; & animi voluptas, quæ, si ullibi, in vita, ordinationi Summi rerum Moderatoris maxime congrua, utique reperitur, inter plurima alia, quæ Oeconomiae Studiosus perentiscit, lucra, locum quin inveniant, nullum credimus dubitaturum.

## §. XII.

**E**Sset quidem fufius exponenda dulciffimæ hujus Disciplinæ præstantia, & ea omnia afferenda, quæ postulat rei dignitas. Sed fufficiat nobis, illius excellentiam & fvaritatem primoribus quafi labris delibaffe. Jam portum respicientes, quod de Philofophia Morali tulit Cicero (*d*) judicium, idem de Oeconomia pronuntiamus; *ita relinquatur hæc disciplina digna studiosis ingenue- rum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus.* Cum enim, ut ex dictis aliquo modo constare putamus, perquam eximia fit Studii Oeconomici præstantia, nihil profecto salutis suæ patriæq; studioso erit prius, nihil antiquius, quam ut eidem inde-

fessa litet opera. Sed immensum fere includit spatium, & singulis, quæ ad illud exacte tractandum requiruntur, incumbere, cuius nec licet nec datum est. Foret ideo utilissimum, si quisq; pro captu suo & inclinatione, certam quandam ejus, vel eo proxime spectantium scientiarum, partem sibi accuratius & penitius perlustrandam sumeret. Qui ex professo se studiis addixerunt, solent & debent, ne iis opprobretur tritum: *aliquid in omnibus, nihil in toto*, hanc vel illam eligere scientiam, eidemq; ita studere, ut, præter aliquam in reliquis, præcipuam in una possideant notitiam. Utinam plures, quam huc usque fieri consuevit, utilissimo huic Studio vacarent, unde majora indies illi esse futura incrementa, spes foret infallibilis. Multum quoque, imo, plurimum lucraretur res, si ipsi Nobiles, nervo rerum gerendarum instructi, & ad quorum imitationem se componere solent reliqui cives, nobilissimo huic Studio se addicerent, sique Cœlesti Doctrinæ consecrati, quo fieri potest, studio, aliquam Oeconomix partem excolendam sumerent. Novimus enim quod illiterata plebs, inveteratæ alias tenax consuetudinis, & viam, qua in œconomicis incedere solet, vix deserens, multum tamen fidei tribuat pio suo & integro pastori, illoque præunte, expeditiores sequatur semitas. Potest vero Scientiæ Oeconomix gnarus Minister Sacer, sine ulla muneris sui intermissione, his studiis, tanquam otio & animi recreationi, post arduos labores vacare, & in quotidiano suo cum auditoribus convictu consilia de emendanda Oeconomia cum illis communicare. Cum vero jam constitutiones Regiæ requirant, ut juventus Academica omnis partem diligentix in Studio Oeconomico ponat, quo non docti modo, sed etiam prudentes œconomi, evadant, quin copiosa exempla, quæ sequatur, habitura sit propediem plebs, nullum superest dubium, quodque, sub benedictione Divina, lætum sit induitura florem tota Oeconomix facies. (d) *De Fin. Libr. V. c. 25,*

\*\*

\*\*

\*\*